Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1141
Quelle:
Copyright:

Epiſtolam ad *Ivonem Carnotenſem*, qui Noſtrum non niſi 6. annis vivendo ſuperavit, nobisque de eccl. Sacramentis et Officiis cum *Sermones*, tum *Micrologum* reliquit. Extrema ſunt: *et ut ſincerum uas nullus poſſet incruſtare.*

XV. *fol.* 113. iterum in margine: *Anſelmus de ſacramentis.* Occurrit Liber hoc titulo bis in magno *Mſptorum Bibliothecar. Angl.* Catalogo, et in Bibliotheca Min. Conventualium *S. Crucis Florentiae* viſus eſt *Mabillonio*, ut narrat *Muſ. Ital.* T. I. p. 163. et addit, non levis fore momenti, ſi Codex eſſet correctior. En igitur quartum Exemplum. Initium eſt: *Kariſſimo ſuo electo ex militibus* (millibus) *ſuus ille — — ſeipſum. Cum nuper recta — exigente cauſa cuidam fratri breuiter de ſacramentis ſcripſiſſem* (fortaſſe ſuperiorem Epiſtolam) *ſumpto inde cogitandi exordio rationes quasdam ex patrum ſententiis ſumptas cepi inuicem conferre et quedam que in libris eorum et maxime beati auguſtini ſuper hac re non nullos turbare ſolent in vnum colligens temptare cepi. vtrum aliquid ex inde poſſem conficere* &c. Igitur Articulis XII. realem Chriſti praeſentiam in Euchariſtia et Transſubſtantiationem ſtabilitum it ad *Guitmundi*, *Lanfranci*, *Durandi* &c. modum in *Berengarium* intentus. Finis Opuſculi: *Sermo diuinus eſt et doctrina celeſtis qui animam noſtram efficit* (reficit?)

XVI. *fol.* 116. *Anſelmus de incarnatione verbi.* Plenius *de Trinitate et de Inc.* contra *Ruzelinum* ſ. *Roſcelinum.* Abeſt a Codice *Praefatio* edit. *cit.* p. 41. et ſtatim incipit: *Domino et patri univerſe eccleſie in terra peregrinationis* &c. ut ibi. Nihil deeſt; nulla tamen Opuſculi diviſio notatur.

XVII. *fol.* 119. *Anſelmus de concordia preſcientie et predeſtinationis cum libero arbitrio.* Initium: *De tribus illis queſtionibus in quibus dei preſcientie* &c. ut edit. *cit.* p. 123. Integra et hic omnia, ſed continuo decurrentia. Neque negligenda *Heptas* haec *Anſelmiana* maxime propter N. XIV. et XV. ſi quis *Gerberonio* adcuratior Editor olim exiſteret.

XVIII. *fol.* 124. redit Miniator, et *Incipit praefacio bernardi abbatis primi clereuallen. in laudibus beate virginis.* Hoc modo Autor ipſe IV. *Homilias* inſcribi voluit, quae vulgo dicuntur: *Super Miſſus eſt.* Vide *Monitum* praefixum Edit. *Maur. Opp. Bernhardi* T. III. *col.* 732. Habentur porro hae *Homiliae* hic integrae cum Praef. quae incipit: *Scribere me aliquid et devotio jubet* &c. et Clauſula excuſatoria hujus initii: *Lectionem evangelicam expoſui ſicut potui* &c.

XIX. *fol.* 130. *Incipit prologus de gratia et libero arbitrio. Domno guillelmo abbati ſancti theodorici frater bernardus. Opuſculum de gratia et libero arbitrio quod illa qua ſcitis* &c. Tractatus ipſe: *Loquente me coram aliquibus* (Edita *aliquando*) *et dei gratiam in me commendante* &c. ut edit. *cit.* T. II. *col.* 603. Integer.